SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

CONTINENS

HISTORIAM TRIUM FOETUUM MONSTROSORUM

UNA CUM

ADNEXIS ANIMADVERSIONIBUS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

EDUARDI SANDIFORT,

MED. DOCT. MEDICINAE, ANATOMES ET CHIRURGIAE PROFESSORIS ORDINARII;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

PAULUS 'SGRAEUWEN,

ZIERICZEENSIS.

Ad diem XV. *Septembris* MDCCCII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD DANIELEM DU SAAR,
MDCCCII.

Nescia praeteriti, fallacis coeca futuri,
Progenies, ovo vix bene tuta suo est.

ADR. VAN ROIJEN,

de Morb. aetatum.

MATRI OPTIMAE

ISABELLAE CORNELIAE VAN DEN HOUTE,

VIDUAE,

ABRAHAMI JACOBI 'S GRAEUWEN,

DUM IN VIVUS ESSET, MEDICINAE DOCTORIS, POLIATRI, SENATORIS ET CONSULIS CIVITATIS ZIRICZEENSIS AC VARIARUM SOCIETATUM SCIENTIARUM SOCII CET.

NEC NON

VIRO PLURIMUM VENERANDO

JOANNI HULSIO VAN DE WYNPERSSE,

ORACULORUM DIVINORUM APUD HAGANOS PRETI FIDELISSIMO,

Hasce qualescunque
suorum primitias

D. D. D.

AUCTOR.

SPECIMEN MEDICUM INAUGURALE,

CONTINENS

HISTORIAM TRIUM FOETUUM MONSTROSORUM

CUM

ADNEXIS ANIMADVERSIONIBUS.

SECTIO PRIMA,

HISTORIA TRIUM FOETUUM MONSTROSORUM.

Inter Annotationes argumenti Medici & Delineationes partium C. H., quae partim ab Avo meo Cariſſimo, Viro Clariſſimo PAULO 'S GRAEUWEN in Academia Groningo Omlandica quondam Medicinae Practicae & Chemiae profeſſore, partim a Patre meo dilectiſſimo ABRAHAMO JACOBO 'S GRAEUWEN, Medico inter cives Zierikzeënſes quondam expertiſſimo, Scabino Senatore & Conſule. Ad me pervenerunt ſingulariſſi-

mae mihi fuere viſae, delineationes foetuum duorum monſtroſorum, quae Tab. I. fig. 1 & 2. conſpicuuntur, eorumque deſcriptio, quam quidem hic exhibere & publici Juris facere animus eſt.

HISTORIA I.

Foetus, qui Tab. I. fig. 1. depingitur, abortivus eſt. Refert Foetum veſicae aqua plenae ſimilem cute humana tectae. In hoc autem conſpicuntur caput, ſed ita cum trunco unitum, ut collum deficere videatur illudque cum pectore & abdomine juſto amplioribus unitum ſit.

Deficit in hoc foetu tota extremitas ſuperior dextra, cujus quidem in ſiniſtra parte rndimenta tantum digitorum aliquot conſpicua ſunt.

Ut deficit extremitas ſuperior dextra, ſic ejusdem lateris nulla extremitatis inferioris, neque femoris, neque cruris, neque pedis apparent indicia, cujus tamen alterius lateris pes perfectior conſpicuus eſt.

Abdominis integumenta loco, quo caeterum abdominalia viſcera tegunt, deficiunt; haec enim ſolo hic peritonaeo tecta extra abdomen conſpicua vitium ſiſtunt quod Medicis *Exomphalos* vocatur; quae enim in inferiore parte abdominis illius foetus conſpicitur tumor formatur partim a viſceribus intra abdomen contentis & integumentis communibus tectis, partim ab Hepate, cui adnexus in ejus ſinu venoſo funiculus umbilicalis, & inteſtinorum tenuium parte maxima in gyros contortorum & per peritonaeum tranſparens conſpicuorum.

HISTORIA II.

Alter, qui eâdem Tabula I. figura 2. depingitur Foetus etiam abortivus eſt.

Ex

Ex inſpecta figura patet, quod Caput, Pectus & Artus ſuperiores bene conformata ſint, quod autem illius mala conformatio haereat partim in Lumbis & Extremitate inferiori ſiniſtra, partim in Integumentis communibus Muſculisque Abdominis.

Scilicet Tumor ſacciformis, qui ex ſuperiore parte Lumborum provenit atque ad ſuram dextri cruris ſeſe extendit aqua plenus eſt originemque ſuam habet ex medulla ſpinali. Ad *Spinam Bifidam* itaque pertinet iſtud malum, ſive ad ſeparationem arcuum & proceſſuum ſpinoſorum vertebrarum lumbalium.

Ex inſpecto crure ſiniſtro, mirum contorto & contraria directione cum oſſe femoris & ipſo acetabulo conjuncto patet, vel ipſe tumor in Lumbis ſi abfuiſſet, quod tamen cum ob malam conformationem extremitatis inferioris dextrae, tum ob defecientem longitudinem ſufficientem greſſui maxime ineptus fuiſſet foetus, ſi ad terminum natus fuiſſet & ſupervixiſſet; ſed praeter iſta mala accedit tertium idque graviſſimum vitium, nimirum quae in priori Foetu etiam notata fuit, *eventratio* cum maximae partis Hepatis, ex cujus ſinu venoſo pendet eodem modo atque in altero foetu funis umbilicalis, tum inteſtinorum tenuium, ex quo manifeſtum eſt, & hic deficere ſtructuram naturalem naturalemque conformationem muſculorum atque integumentorum communium abdominis, quibus deficientibus, peritonaeo non ſufficientur ſuffulto, non debuerunt non erumpere viſcera abdominalia nudo tantum involucro tranſparente tecta & vitium ſiſtere, quod *Exomphalon* in priori Hiſtoria Foetus monſtroſi notavimus.

HISTORIA III.

Inter Feminas gravidas CENTUM ET DECEM. Quae ſpatio *Trium* annorum admiſſae fuerunt in TOCODOCHIUM ACADEMICUM ut ibi

partum eniterentur & Praeside Cl. DU PUI Praeceptore aestumatissimo à Medicinae studiosis in eo auxilium haberent, numeratur. M.... W........ Uxor....., triginta duorum annorum, tertium gravida, quae die 14 Feb. anni 1802. Tocodochium ingressa est.

Durante graviditate satisbene se habuit haec mulier, nisi quod in ventre subinde dolores molestos fuerit experta.

Die 6°. mensis insequentis dolores ad partum ingruebant primum leniores & dein fortiores meae quum essent vices una cum commilitone amicissimo J. BAERT nunc Med. Doctori & Poliatro Leidensi huic foeminae in partu auxilium praestandi monitus hanc accessi per que Factum obstetricium exploravi, quali judicium de partu futuro ferendum foret.

Non multum autem ex hoc examine didici cum illo tempore & ostium uterinum & uterus adeo alte in Pelvi haererent, ut nihil per digitos distinguere potuerim.

Sub vesperam ruptae fuerunt membranae atque insignis aquarum quantitas effluxit.

Per noctem continuarunt dolores eadem ratione, Parturientem multum fatigantes neque partum tamen promoventes.

Die insequente septimo instituto examine detexi aliquid, quod distinctu erat difficile & praeternaturali videbatur, membranosi sacci quid simulans.

Repetito examine Foetus oculos versus ossa positos animadverti, qui prominentes valde erant, & tenue operimentum loco quo ossa parietalia naturaliter esse debuissent, qua propter mento Foetus à pectore remoto ita Foetum ad introitum superiorum pelvis minoris haerere conclusi, ut facies ad marginem internum ossium pubis haereret, atque occiput, ad dorsum depressum, versus conjunctionem sacra-vertebralem spectaret. Hoc in statu doloribus aliquot adhuc insequentibus exprimitur Foetus foemininus, per quadrantem horae vitae indicia dans, talis deformis figurae, qua-

qualem Tabula II. abanteriori & posteriori parte juxta archetypum exarare exacte curavimus.

Conveniret nunc, ut reliqua, quae hanc Parturientem spectant, enarrarem; hujus autem continuationem mox dabimus, inter posita primum, quae hunc foetum editum spectant, deformitatis descriptione.

Tabulam nostram, quae fideliter ad Archetypon, quod inter caetera praeparata Anatomica & Pathologica Aestumatissimi Praeceptoris DU PUI in spiritu frumenti conservatur, exarata est, inspicienti patebit ab anteriori parte 1°. (vid. Tab. II. fig. I.) quidem oculos prominere insigniter, nasumque contra applanatum intropressumque 2°. aures a temporibus remotas neque è diametro positas, sed sinistram dextrâ inferiorem; 3°. deficere maximam partem ossis frontis, quod sursum versus verticem constituit, quare haud mira videbitur circularis totius foetus faciei figura, quae quamvis naturalis neonatis infantibus, hic nunc ob malam hanc conformationem per excellentiam observatur, & 4°. caput ita quidem humeris insistere, ut vervix deficere videatur, aut saltem mala vertebrarum cervicalium obtineat conformatio.

His ab anteriori parte visis posteriore parte (vid. Tab. II. fig. 2) capitis & corporis foetus sequentes notantur defomitates.

1°. Vertex capitis totus quantus applanatus est ob defectum maximae partis ossis frontis, ossium parietalium & ossis occipitis, quibus deficientibus non mirum 2°. membranas cerebri & cerebelli succingentes suo fulcro orbas prorupisse, atque in saccum pendentem effictas esse, qui cervicem obtegit & ad aliquam distantiam in dorso se extendit, 3°. defectus ossificationis in ossibus calvariae conspicuus observatur etiam in spina dorsi, quae ab atlante vertebra per cervicales & dorsales vertebras ad lumbos usque se extendit, ita ut defectum integumentorum communium, depressosque pro-

ceſſus ſpinoſos conſpicere leceat, hasque partes omnes membranâ muſculari tantum tectas.

Ex diſcriptione deformitatum in hoc foetu obſervandarum improprie licet hic Foetus *Acephalus cum ſpina bifida* nominandus foret.

Nunc relique Parturientem partumque ſpectantia, quorum narrationem paulisper diſtulimus addamus:

Edito hoc partu deformi, quem illo tempore in Noſocomio Academico praeſentes conſpixerunt viri CL. PARADYS & DU PUI, meum quidem erat mox inquirere an forte alter foetus in utero moraretur, ut ſic relinquenda vel ſolvenda Placenta juſto concluderem: examine itaque inſtituto cum manum imponendo ventri parturientis, tum digitum introducendo in vaginam mox ad oſtium uterinum ovem alterius foetus experiebar doloresque novos & os uterinum aperientes ovumque protrudentes obſervabam; quibus per horam continuantibus mambranae fuerunt ruptae atque aquae effluxae.

Ruptis ſic membranis nunc foetus poſitionem quae antea ſatis obſcura erat, alte adhuc ob uterum ejusque os contractum haerente foetu, commode potui detegere comperique ita in utero eſſe poſitum ut clunes in centro introitus Pelvis minoris haererent & praeciſe quidem foetus os ſacrum in uno extremo eſſent diametri unius obliquae Pelvis ad medium os Pubis ſiniſtrum, ejusque genitalia verſus alterum extremum ejusdem diametri obliquae ad conjunctionem ſacro-iliacam dextram, in qua quidem poſitione quum clunes adhuc mobiles haererent ex Artis regulis, quibus imbui à Praeceptore Clar. DU PUI per tres annos magno cum fructu mihi licuit, — manum in vaginam uterumque introduxi, hocque foetu paululum elevato pedes arripui eos extraxi ſicque ambabus manibus denique foetum totum, foeminum vivum & omni numero bene compoſitum eduxi, partumque feliciter abſolvi.

Hoc

Hoc altero edito infante ſponte ſua ab utero ſolvebantur Placentae, quae levi itaque opera educebantur. Eductis Placentis patuit illas non ut ſaepe obſervatur, inter ſe cohaeſiſſe, ſed quamvis diverſam ad uterum habuiſſe cohaeſionem.

Ex hoc Partu Foetuum geminorum valde defatigata erat foemina; per Emulſionem autem praeſcriptam, quietem & bonum regimen non tantum refocillatae fuerunt vires, ſed poſtmodum etiam perfecte convaluit.

SECTIO SECUNDA,

ANIMADVERSIONES IN HISTORIAM TRIUM FOETUUM MONSTRORUM.

Neque animus, neque vires mihi ſufficientes ſunt, hac occaſione, quâ HISTORIAM TRIUM FOETUUM MONTROSORUM publici juris facio, ut antequam *Gradum Doctoratus capeſſerem*, legi ſatisfaciam Academicae, de MONSTRIS agere aut in rationis inquirere, cur aliquando Natura ſibi in millenis caſibus ferme ſemper ſimilis à conſueto tramite aberret & foetus gignere faciat deformes & in nonnullis vel omnibus partibus vitioſos. — Hoc ſcrutinium ingenio graviori dignum, aliis pertractandum relinquenti mihi liceat tantum nonnullas in horum FOETUUM MONSTROSORUM HISTORIAM adjicere animadverſiones, quae mihi notabiliſſimae fuerunt viſae.

Quae praeter alias notavi poſſent Animadverſiones haec quidem praeprimis noſtram meretur attentionem, quod in tribus iſtis Foetibus monſtro-

ſis

ſis defectum conformationis in partibus continentibus obſervemus, hocque producta videamus in primo Foetu (vid. Tab. I. fig. 1.) *Exomphalum* in Secundo Foetu (vid. Fig. 2.) *Exomphalum & ſpinam bifidam*, hacque ſubortum *Tumorem pellucidum aquoſum in Lumbis* & in tertio Foetu *Herniam cerebri & Cerebelli.* Quae quidem convenientia licet maxima ſit, cum tamen indiverſis partibus habuerit locum, nonnulla quidem de ſingulorum vitiorum diverſitate addere haud in utile exiſtimo.

Apud Medicos conſtat, neque hac de re ullum erit dubium, in omni cavo noſtri corporis, quando contenta pars alicubi in porte continente minorum firmitudinem offendit, ſua preſſione cavum praeternaturale efficere inque illo, ſive fluidum fuerit ſive ſolidum pro parte vel in toto effundi, recondive.

Cum jam à cauſſâ quâcunque (cauſſam enim certam ob anamneſios defectum hic afferere non licet,) ſtructura muſculorum abdomum eorumque integumentorum communium non talis fuerit, qualis eſſe debuerit ad ſufficienter fulcienda viſcera abdominalia, atque hi muſculi & integumenta ſuam tantum acquirunt perfectionem, poſtquam jam inteſtina & reliqua viſcera abdominalia in Foetu exiſtunt & jamjam perfecta ſunt, non difficile adeo erit intellectu, cur in Foetubus monſtroſis primo & altero Tabulae Iae. *Exomphalos* fuerit enatus.

De vitio altero in foetu altero fig. 2. Tab. I. quod *Spina Bifidae* nomini inſignivimus, res paullo aliter debet concipi.

Scilicet conformatione mala ſive oſteogenia perverſa quando arcus ſive proceſſus ſpinoſi vertebrarum &, ut in noſtro caſu lumbalium dehiſcunt effectus erit, non cauſſa, quemadmodum RUISCHIUM recte ſtatuentem ſcripſiſſe SCREIBERUM notavit expert. SWAGERMAN in ſuo libro *over het Waterhoofd en waterige gezwellen*, *in 8vo.* ut contentus latex aquoſus intra membranas inveſtientes medullam ſpinalem aequaliter premens eo loci

mi-

minorem offendens resistentiam ibi protrudere faciat membranas, ibique sacculum efficiat, in quo se ipsum recondit, quo aucto demum latice, non poterit non ibi tumor formari major, minor, (qualis in nostro Foetu conspicuus est) in ratione laticis contenti, partium dehiscentium & membranarum integumentorumque resistentiae.

Denique de ortu Tumoris in Capite tertii Foetus ejusqne Spinae bifidae anamnesis eorum, quae durante graviditate locum habuerunt, explicationem clariorem nobis exhibere videtur.

Qui ad vires naturales utero nunquam non insitas attendit, mecum facile statuet, ab increscente foetu durante graviditate uterum extendi ejusque cavum augeri, sed illum eundem uterum huic extensioni sese semper opponere & niti per vim suam contractilem, praesertim si à motu foetus stimulatur, ut sese contrahat &, quantum possit, cavum suum deleat.

Hoc ita à Natura debuit fieri, ut praesto essent utero suae vires tempore determinato ad expellendum foetum partumque absolvendum, qui quidem Partus ne in genere intempestive oriretur, neque foetus ab hac uteri contractione injurias pateretur, providit eadem Natura ipsi ostio uterino ejusque cervici majorem firmitudinum majoremque resistentiam dando foetumque undique ambiendo quantitate sufficiente aquarum, quâ ab omni uteri pressione liber est foetus.

Sed hoc quamvis ita sint nihil tamen impedit, quominus foetus in cavo uteri, praesertim si geminorum gravidus est (Ut in nostra Observatione habuit locum) ob cavum uteri nimis arctum cum ab ipso utero sese contrahente & foetum premente, tum ab ipso compare in utero cum altero foetu haerente laedatur & injurias contrahat.

Atque haec compressio, sive hanc ab utero repetas sive à compare foetu, sive utrique adscribas, mihi in caussa videtur, cur in Foetu, quem Tab. II. fig. 1 & 2. depinximus, ossis frontis, ossium parietalium & ossis occipitis

 maxi-

maximae partis offificatio fuerit impedita, & hac deficiente Tumor ifte in vertice & dorfo fuerit enatus & ipfum vitium *Spinae Bifidae* fuerit productum, quemadmodum ex hac preffione & impedita fic perfecta conformatione offium pedem conftituentium in utero jam natum vitium quod Belg. *Horrelvoet* vocatur Angl. *Clubfoot* nominant, judiciofe ftatuit CAMPERUS vid. J. VAN DER HAAR, *Uitgez. Genees- en Heelk. Mengelfchriften*, Amfterd. 1797. I. Deel p. 243.

Plures quidem Animadverfiones in has Hiftorias notare forte haud foret difficile: ne autem limites Differtationis Academicae hoc noftrum fpecimen excedat, una de monftris, altera de foetu gemino facta finem huic imponere liceat.

Initio hujus fectionis notavimus raro Naturam in perpetuanda probe à fuo tramite deflectere & ferme femper per fimiles creaturas humanum genus multiplicari. Neque ullus erit quin ex obfervatione quotidiana huic rei affenfum praebeat:

Optandum interim foret ut Foetuum bene compofitorum & quocunque modo mutilatorum numeri perpetuae haberentur Adnotationes, quo fic concludere liceret, in quot quidem cafibus conftans effet. Natura & in quot quidem aberraret ut fic demum ratio inveniretur, quam Foetus inter editos bene compofitos & monftrofos Natura obfervare videtur.

Doct. ROBERTUS BLANDIUS hanc rem quodammodo inchoavit (vid. *Philof. Tranfact.* anni 1781. Part. 2. Vol. 81. n. 22. p. 355.) adnotans praeter alia multa egregia & utilia ex Ephemeridibus Focodochii Londinenfis ex 1897. Partubus *octo* fuiffe, qui aliquo vitio erant nati, & quidum *unum* habuiffe *digitos coalitos*; *unum Labium leporinum*; *unum Spinam Bifidam*; *unum Hydrocephalum*; *unum defectum Palati*, *duos acephalos*; adeoque ftare rationem *bene compofitorum* foetuum ad rationem

mon-

monstrosorum quemadmodum 241 sunt ad unitatem, sive ex 241 fuisse *unum* monstrosum.

JOH. CHRIS. STARK. *in Archiv für die Geburts hülfe, Frauer zimmer und neugebohrner kinder krankheiten Jena* 8°. inter 100 Partus unum monstrosum retulit.

Notavimus supra trium annorum spatio CENTUM & DECEM FEMINAS in Tocodochio nostro Academico peperisse. Inter *centum* itaque & *undecim* infantes (unus enim fuit partus geminus) duo fuerunt monstrosi; nam inter illos infantes *unus* adhuc fuit natus, cujus labium superius & palatum erant fissa.

Annotatio est reverendi *J. P. Susmilch* (vid. Egregium opus *de goddelyke orde, heerschende in de veranderingen van het menschelyk geslacht, uit de geboorte het sterven en de voorplanting van het zelve beweezen.* Tom. I. C. 5. §. 96.) esse rationem inter Partum *unum* & *geminos* ut 60 vel 70 ad unitatem. Alii hanc rationem quodammodo majorem determinant, sic ut sit ut 100 ad unitatem.

In Pago Catvicensi ad mare generaliter quovis anno 100 nascuntur infantes interque hos ordinarie *unus* Partus est geminus, quae ratio satis congruit cum ratione, quam exhibuerunt Partus in Tocodochio Academico; ibi enim inter 110 partus unus fuit geminus.

TANTUM.

EXPLICATIO TABULARUM

TRIUM FOETUUM MONSTROSORUM.

EXPLICATIO TABULAE I.

Fig. I. Foetus veſicam referens aquâ plenam, pelle humanâ tectam.

a. Caput.

bb. Aures.

c. Apices digitorum manus ſiniſtrae.

d. Pes ſiniſter.

e. Hepar extra Abdomen pendulum Peritonaeo tectum.

f. Pars Funiculi umbilicalis.

g. Pars major Inteſtinorum tenuium, involucro Peritonaeo itidem tectorum.

Fig. II. Foetus abortivus deformis.

a. Tumor aquoſus ex lumbis oriens atque ad ſuram ſiniſtri cruris ſe extendens.

b. Crus dextrum mire contortum & ſuperiora verſus preſſum.

c. Extremitas inferior ſiniſtra, cujus pes intropreſſus eſt.

d. Hepar extra abdominis cavum ut in Fig. I.

ee. Pars Funis umbilicalis.

f. Inteſtina tenuia extra Abnomen ut in Fig I.

EX-

EXPLICATIO TABULAE II.

Fig. I. Foetus acephalus ab anteriori parte conſpicuus.

aa. Oculi inſigniter prominentes.

b. Naſus applanatus inſigniter & intropreſſus.

cc. Aures, quarum ſiniſtra dextrâ depreſſior eſt.

d. *e*. *f*. Margo deficientis oſſis Frontis.

Fig. II. Idem à poſteriori parte viſus.

a. Oculi prominuli inſigniter, ut in Fig. I. *aa*.

bb. Aures, ut in Fig. I. *cc*.

cc. Caput humeris inſiſtens, depreſſius defectu colli, quod in Fig. I. ab anteriori parte etiam obſervatur.

d. *d*. *d*. Margo oſſium Frontis & Parietalium, quae una cum maximâ parte oſſis occipitis deficiunt.

e. *e*. *e*. *e*. Saccus membranaceus, ab involucris Cerebri & Cerebelli efformatus, ad dorſum usque elongatus ibique flaccide pendens.

f. *f*. *f*. *f*. Spina bifida ab oſſe occipitis per vertebras cervicis & Dorſi ad Lumbos usque tenui membranâ, quo loco communia Integumenta deficiunt, tecta.

POSITIONES MEDICAE.

I. Ars obſtetricia medicum egregie decet.

II. Muſculi Pſoae & Iliaci multum ad promovendum vel impediendum partum juvant.

III. Sectionem integumentorum & muſculorum in ſectione caeſarea non de orſum ſed ſurſum dirigendum eſſe ſtatuo, id eſt, ab inquinali regione incipiendo usque ad umbilicalem pergendo.

IV. Superfoetationes nuncquam certo demonſtrari poſſunt.

V. Quando infantis capiti intra oſſa pelvis haerenti nullus ſupervenit tumor, certiſſimum mortui infantis eſt ſignum.

VI. Placentae extractio in partu naturali naturae reliquenda eſt, niſi urgentia quaedam ſymptomata adſint, quae ejus extractionem neceſſariam indicant.

VII. Funiculi umbilicalis ligatura non videtur neceſſaria, dummodo expectetur, donec omnis pulſus in funiculo deſierit, ut in Todochio Academico ſub auſpiciis Clar. DU PUI ſaepe expertus fui.

VIII. Infantes lacte materno non nutriti pluribus malis obnoxii ſunt, quam caeteri.

IX. Univerſalis corporis plethora in mulieribus minime eſt cauſa menſtruorum.

X. Nul-

X. Nullum efficacius remedium ad morbos puerperarum praecavendos reperitur, quam debitum gravidarum regimen, & diaeta tenuis, nutriens & Antifeptica.

XI. Chemia Theoriae Lavoifierianae innixa, ambitus hodie eft latiffimi.

XII. Calor animalis tam ab actione vaforum vivâ, quam à decompofitione aëris athmofphaerici pendere videtur.

XIII. Pus eft humor fui generis cum nullo alio corporis humani humore conveniens Celeb. BRUGMANS jure adfcribit.

XIV. Non proprio fuo pondere, fed continuâ oefophagi contractione mufculari ingefta ad ventriculum deferuntur.

XV. Naturam fibi falutiferum, eamque optimum in Medicina ducem effe, exiftimo.

XVI. Urethrae morbum, qui à veteribus Medicis *Gonorrhaea virulenta* fuit appellatus commodius *Blenorrhagiae* nomine recentiores infignierunt.

XVII. Ab animi pathematibus magnopere inter alia pulfus mutatur; ergo Medicus in pulfu explorando, praefertim in fexu fequiori, ad animi adfectiones utiliter attendit.

XVIII. Catarrhum periculo nunquam ftipatum effe, praejudicata eft opinio; homines autem permultos à catharrorum fequelis necare, res eft, proh dolor! veriffima.

XIX. Etfi *Nitrum* optimum fit antiphlogifticum, in omnibus morbis, inflammatoriis tamen non convenit.

XX. Veficantia extimae corporis parti admota fi veficam non excitent, fignum mortis frequenter dant.

XXI. Convulfiones in variolis praefertim in infantibus, faepe boni praefagii funt.

XXII. Cor-

XXII. Cortex Peruvianus externe contra febres adhiberi poteſt.

XXIII. Licet Cortex Peruvianus praeſtantiſſimum ſit Medicamentum in vulneribus & ulceribus magna puris copia ſcatentibus: tamen, niſi diaeta bene nutriens ſimul adhibeatur, parum praeſtabit; ſaepe quoque Opii connubium cum ipſo egregia praeſtat.

XXIV. Saccharum Saturni in Phthyſi pulmonali non convenit, ſi à tuberculo ſuppurato aliave quâcunque cauſſa nata ſit, ſed unice ſi à nimiâ pulmonum ſenſilitate ſuam traxerit originem, quando quietem ulceri conciliando ſuum edit effectum.

XXV. Galvanismi vulgo ita dicta Phaenomena à fluido Electrico pendere & effectus columnae Galvanicae Cl. VOLTAE ex inaequali heterogeneorum metallorum electricitate ad aequilibrium tendente, ſatis explicari poſſe videntur.

O P T I M A E   F I D E I

A M I C O

P A U L O 'S G R A E U W E N,

CUM SUMMOS IN MEDICINA HONORES CONSEQUERETUR.

Praemia cum dentur meritis, tandemque coronâ
 Non careat verus perpetuusque labor;
Cum pariter virtus capiat Doctoris honores,
 Et ſoleant tandem pignora cara dari:
Hinc etiam meritó cingunt tua tempora ſertis,
 Hinc *Doctoralis Laurea* danda tibi,
Collige nunc ergo laetos post ſemina fructus,
 Quos tibi jam voluit reddere Amice labor:
Incipias porro, morbos nunc pellere cunctos,
 Praeclarique PATRIS ceu velis ire viam,
Quo ſemper maneat nomen laudesque perennent!
 Haec precor, haec fieri ſic velit ipſe *Deus!*

Non ex Arte ſed
amicitiae cauſſâ

J. C. VAN GENNEP,
Med. Doct.

E M E N D A N D A.

Pag. 5. *lin.* 4. ovo *lege* Avo. *pag.* 6. *lin.* 7. confpicuntur *lege* confpiciuntur. *ead. pag.* confpicua *lege* confpicua. *pag.* 7. *lin.* 10. contrarii *lege* contrariâ. *ead. pag.* 13. defocientem *lege* deficientem. *pag.* 8. *lin.* 10. Factum *lege* Tactum. *ead. pag. lin.* 24. fuperiorum *lege* fuperiorem. *pag.* 9. *lin.* 4. hujus *lege* horum. *ead. pag. lin.* 16. vervix *lege* cervix. *pag.* 10. *lin.* 10. relinquenda *lege* relinquende. *ead. pag. lin.* 12. ovem *lege* ovum. *ead. pag. lin.* 20. effent *lege* effet. *ead. pag. lin.* 26. manibus *lege* manubus. *pag.* 11. *lin.* 10. monftrorum *lege* monftroforum. *pag.* 12. *lin.* 9. porte *lege* parte. *ead. pag. lin.* 10. minorum *lege* minorem. *ead pag. lin.* 14. abdomum *lege* abdominalium. *ead. pag. lin.* 26. SCRABERUM *lege* SCHREIBERUM. *pag.* 14. *lin.* 5. Horrelvoet *lege* Horlvoet. *ead pag.* 12. probe *lege* prole. *ead. pag. lin.* 20. videtur *lege* videatur. *pag.* 15. *lin.* 3. Frauer *leg.* Frauen. *pag.* 19. *lin.* 21. necare *lege* necari.


Tab I.
Fig. 1.
a
b
b
c
d
e
f
g
Fig. 2.
a
b
c
d
e
e
f

Tab. II.

Fig. 1.




Fig. 2.

